

o Job 16. 16.

(o) veterascentem lepram pedibus manibusque maxime prodi, quos scilicet diris adeo tumoribus inflat, ut chiragrae atque podagrae speciem intuentibus exhibeat. Quid valeant conjecturae istae, Lectoribus iudicandum relinquimus.

Post eas omnes adductas conjecturas & sententias, quid maxime de Jobi morbo sentiri oportet, definire quisque poterit. Modò, ut totum expleamus argumentum, reliquum est disseramus de natura, causis & effectibus singulorum morborum. Sed nimis longius, quam pro modulo dissertationis, adduceremur, & minor nobis medicinae peritia quam argumenti dignitas exigat. Ad haec conjecturas nostras de Lepra, cujus est apud Moysen sermo, alibi concessimus facile ad praesens intentum accomodandas. Unum tantum in praesentia addendum, morbum illum Jobi, quamvis rarum & insolentem, non adeo tamen prodigiosum haberi debuisse, quin ullius causae naturalis ministerio inductus credatur. Petenti Dæmoni illud tantummodo Deus indulget, ut causas plures morbi naturales comparans, in virum sanctum omnes immitteret, earumque vim magis magisque promoveret; vivere tamen illum semper, sed longam trahendo mortem, permisit.

Quaedam modo de restituta viro sancto valetudine discutienda sunt. Nihil eà de re in Scriptura, ita verò narrant Orientales (p). Cùm tandem imponere longae calamitati finem statuisset Deus, Angelum Gabrielem misit, surgere virum Sanctum jubentem; qui Angelicis praecipis actum obsecutus, strato relicto, stetit. Tum Angelus stare iterum in pedes iussit, & frigidà corpus lavare, vini que potum affertum corpus reficere. Nihil à Jobo omisum, statimque egritudine depulsa convaleuit. Inter haec, dives subito fons ante pedes eius exiit, ex quo torrens coepit excurrere, aquis lacteo candore, mellis dulcedine, & gratissimum spirantibus fluens. Vix aquis illis epotis statim abire vermes, nec ultra ad virum sanctum accedere. Iussi simul amici Job illum convenerunt, provocatum in se Dominum qua implorato Jobi patrocinio, qua sacrificiis placarunt; provocatum, in quam, quippe qui inconsultis & iniquioribus verbis plura effutierant. Ipsi etiam amicis rogantibus erroremque suum agnoscentibus data facilis à Jobo venia, qui testes illos restituta sibi à Deo pristinae valetudinis & fortunarum naclus est.

Orientalium ingenium pronum est maxime in prodigia iactanda, neque si plura cumulaverint, & maxima ad arbitrium effuxerint, religioni maxime ducunt. Quare nullum est certum alioqui assertumque in Scriptura prodigium, quod plurimum, & plurimum miraculorum accessione promovendum non aggrediantur. Qua in re & indolem ipsi suam, & habitudinem sequuntur, rati tum maxime divino honori & decori Religionis se consulturos, si plurimum fabellarum satellitium illi adjuverint. Principium, si quod aliud unquam,

maxime perniciosum, in superstitionem & irreligionem recta deducens. Cautiores multo Sacri Scriptores nullum nisi maxime necessarium prodigium constituunt; eas simul addentes circumstantias, quibus facile Lectores persuaderentur, quando etiam nihil Scriptoribus illis fuisse divinum crederent. Cum igitur de prodigio miraculisque nihil in ea historia legamus, ut quid incerta & sublesta fidei agnoscenda cogere?

Quò longius à prodigiis recederet Bartholinus, novam ille restituta Jobo valetudinis rationem excogitavit, cujus adeo nulla fides, ut nullam etiam veri speciem exhibeat. Cineri assidebat Jobus [q], tum ut humilitatem suam eo indicio demonstraret, tum pariter ut ulceribus suis prompto remedio occurreret, ait idem Bartholinus. Verissime ille quidem de humilitate; mos enim obtinuerat, ut crimen aliud admittum lugentes, cineri, & terra assiderent: quicumque etiam funera, lugebant, caput vultumque pulvere, & cinere foedabant. Ipse pariter Jobus gravioribus verbis à Deo castigatus, quòd inconsulta plurima effutisset: *Ago, ait, penitentiam in favilla & cinere [r]*. Sed quis, rogo, nisi delirans, sibi in animum induxerit, Jobum remedium ulceribus querendum in cinere cogitasse? Sed noxium cinis exsiccat humorem, ait Dioscorides, lib. 5. cap. 135. & exsiccandis ulceribus tum & crusta inducenda cinis samentorum alius contemperatus medicaminibus valet. Cruori è recenti vulnere fluenti sistendo cineres presentissimos esse testatur Galenus (s). Ulcera Syrorum, sive ulcera faucium vel glandularum amygdalinarum, noxius in primis & vulgatus in Syria morbus, teste Aretæo (t). aspersis pluma cineribus tractatur. Exsiccandis igitur ulceribus, & leprae curandae eodem remedio Jobus utebatur. Bella argumentatio! Nonne praestaret silentio rem praeteriisse, potius quam talia ferri attulisse?

Nos igitur de ratione valetudinis à Jobo receptae rem integram transigemus, cum neque conjecturae neque Scripturae testimonia aliqua suppetant. Nihil etiam nobis de prodigiis; æquum est enim ut ab inutili labore frustra illa investigandi Lectorem relevemus. Jobum satis promptè convalescente illud demonstrat, quòd statim pro amicis sacrificia obtulisse legitur; vix enim leprosus & morbo oppressus praestandis sacrificiis parem se exhibuisset. Sed prodigio illius sanitatem restitutam quis dixerit? Ex quo enim Dominus concessam prius Dæmoni potestatem retraxit; ex quo Virum Sanctum caelesti solamine spectandum se praebens recreavit; (ad id enim abscondisse faciem suam visus est Deus, atque averso illum oculo respexisse, quò magis magisque de patientia illius periculum faceret) ex quo pariter obstructi morborum fontes; tum pronum viro Sancto fuit, ut naturali aliquo remedio, sive balneo, vel succo aliquo herbarum affectum corpus foveret, sanien-

q Job 2.8. Jafchav betorb haepber.

r Job 42.6. nichambi alaphar. Vaepber.

s Galen. seu alius Author libel. de Simplicibus Medicam. t Aretæus lib. 1. de Curat. Acut. Morb. cap.9.

a Chachol ar-beb jamim, sebaref-bi phathuabele-majim.

tereret, abigeret vermes, ac tandem cibi aliquo defectu servato pristinam humorum harmoniam potuit reparare. Vix enim credimus, quin prompta essent & ad manum remedia in morbo earum regionum planè vulgari & frequenti. Cùm tamen diuturniorem morbum illum vitiatamque penitus humorem massam nos in superioribus nec immeritò statuerimus, si quis bonorum Angelorum ministerium aliquod accessisse voluerit, ut quemadmodum mali Angeli artibus morbus inductus est, ita bonorum Angelorum ministerio de-

pelleretur, per nos liceat. Potuit enim bonus Angelus prompta & opportuna remedia viro suggerere, potuit admonitu suo à noxiis arcere; qua in re nullum aliud intercessisse prodigium agnoscendum est, quàm quo nos quotidie juvamus; bonis Angelis recta quaque suadentibus & suggerentibus, ut ad morum honestatem promoveamur; tum etiam sedulo vigilantibus, ut nos sive à noxiis arceant, sive ut à malis, quae in caput nostrum induximus, liberemur.

DISSERTATIO

IN ILLUD JOBI 29. 18.
Sicut palma multiplicabo dies.

Quem exponendum hic suscipimus Textum, neque maximi est in se momenti, neque rectum illius sensum assequi ad nos maxime spectat. Cùm tamen argumentum ex eo ad probandam resurrectionem adduxisse Veteribus succurrerit, ac in varias ejus occasionem sententias Interpretes distrahantur; ideo aliqua de illo in medium afferre ad nos maxime pertinere arbitramur. Scitum est, Jobum verbis illis longioris vitae felicitatem sibi augurari; an verò producere sibi vitam palmam, vel potius Phoenicem optaverit, vel tandem tot sibi vitæ annos, quot in mari arenae deprecatus sit, ambigitur; uno verbo, an similitudo ex Phoenice, vel palma, vel arena in litore maris deducta sit, inter Autores discutienda.

Profectò si Hebraici Textus verba satis haberentur explorata (a), nullus esset controversiae locus; sola enim sententia ad literam expositio Interpretes omnes in concordiam adduceret; nec multum inde curaretur quid Veteres pravam interpretationem secuti autumaverint; solis illis Interpretibus inter Veteres adherentibus nobis, qui maxime rem affectui deprehenderentur. Cùm verò Rabbinii, & Veteres Interpretes, quorum sententiam in Scriptura versione maxime sequimur, nec satis inter se consent, & incertam vagantemque vocum significationem reliquerint, integer nobis manet labor Textum & potissimas Versiones excutiendi; quò inter varias illorum sententias meliorem pro viribus seligamus.

Quam in eo Textu vertendo rationem secuti sunt Septuaginta, variis tot opinionibus occasionem prebuit & fomentum. Utuntur enim voce *Phœnix*, quæ in Græ-

co tria vel quatuor maxime diversa significat; palmam nempe, Phoenicem avem, & Phoenicium nempe Phoenicis incolam, ac tandem herbam, quam nos *lolium murinum* appellamus (b). Hanc equivocationem sensisse illi, & subducere voluisse visi sunt, addentes vocem *truncus*: Et sicut *truncus Phœnicis* (sive Palma) *multiplicabo dies*. Ecquæ enim alia voci Phœnix congruere potest significatio, nisi palmitis si vox *truncus* addatur? His tamen minime convicti plures, locum interpretati sunt, de Phoeniceave, totam sententiam legentes (c): *Sicut corpus* (vel foetus) *Phœnicis multiplicabo dies*. Tam uberem verò spiritualium conceptuum materiam hinc nacti sunt, ut non raro pro resurrectione mortuorum argumentum ex illa derivarint. Erroris fomentum praebuerunt verba immediate antea in Textu legenda: *Dixi: In nidulo meo moriar, & sicut Phœnix multiplicabo dies*. Pronum est enim ut nidus de ave exponatur, & de ave potissimum ejus nominis tota antiquitate celebratissima, deducendis figuris & allegoriis maxime opportuna.

Porrò de Phoenice ave Arabia hæc tradit Solinus cap.42. *Phœnix aquila magnitudine, capite ornato, in conum plumis extantibus, cristatis faucibus, circa colla fulgore aureo, postera parte purpureus, atque cauda, in qua roseis pennis caruleus interscribitur nitor* (d). Addunt sidera in oculis micare, unicum esse in mundo (e); vitam juxta aliquos ad 500. annos (f); juxta alios ad 1000. [g] nec defunt qui credant ad 7000. producere (h). Vivit, ait Plinius lib.10. cap.2. ad 660. 560. seu 521. annis; variant enim Exemplaria. Solino verò 540. annorum avis est. Supparem novem Corvorum generationibus autumat Hesiodus; corvum verò 9. humanis generationibus parem constituit. Albertus Magnus intra 340. annos Phœnicis vitam definit.

b Vide Dioscorid. lib.4. cap. 39.

c Mercer. & Tir. in hunc locum. Hebraei apud Vat. Grot. Codwec. Druif.

d Vide & Plin. lib.10. c.2. & l.13. c.4.

e Tacit. lib.6. Annal. Unum in terris. Melia lib.3. cap.9. Avis semper unica.

f Horus Jeroglyph. 33. Senec. Ep. 42. Tacit. Annal. 6. Herodot. lib. 2. cap.3.

g Author Poemat. de Phœnice sub nomine Lactant. & Claudian. & h Chæmon apud Tzet. Non

Non defuisse qui 1460. annorum vitam avi tribuerent, Tacitus est author Annal. lib. 6. se verò credere, intra 500. annorum spatium aetatem illius terminandam; addit tandem incertam esse avis aetatem. Narrat, tanquam suâ aetate vulgatum, primum omnium Phœnicem ex Ægypto allatum sub Sesostride paruisse; secundum sub Amasi; tertium sub Ptolemæo III. nempe Evergete; quartum tandem vidisse Roman rerum potente Tiberio sub Coss. P. Fabio & L. Vitellio A. V. C. 787. Verum, ait idem Tacitus, inter Ptolemæum III. & Tiberium Imperatorem breve tantum 250. annorum intervallum vix intercessit; ut proinde quæ de ejus aetate feruntur, vel minus cum veritate consent, vel eadem avis sæpius in vita sua paruisse credenda est. Addit tandem: Unde nonnulli falsum hunc Phœnicem, neque Arabum è terris credidere, nihilque usurpasse ex his quæ veteris memoria firmavit. Hæc Taciti supputatio annorum inter Evergetem & Tiberium veritati quidem non cohæret, sed nunquam 500. anni eâ temporis intercapedine fluxerunt. Quare falsa licet autumaverit, semper tamen verissimè asserit, eorum opinionem, qui non nisi post evolutos 500. annos Phœnicem reducant, fidei esse sublesta. Quin & si unus tantum Phœnix in mundo esse credatur, quod Antiquorum consensu assertum est, cum nullus amplius post Tiberii aetatem paruerit, defuisse Phœnicem jam certissimè statuendum. Singulas recurrentis anni, quem Astronomi magnum vocant, periodos Phœnicem pariter reducere tradit Manilius [1]; quam Veterum nonnullorum fuisse sententiam Solinus cap. 42. animadvertit. Sed quis, rogo, crediderit avem producere vitam potuisse non ad 500. tantum annos, quæ sanè aetas fidem excedit, sed ad 12954. quot periodum magni anni conficiunt; cum nempe Cæli omnes & corpora caelestia ad idem recurrunt punctum, veluti si tunc primò motum suum exordirentur?

Plinius lib. 10. cap. 2. ex Cornelio Valeriano tradit, Phœnicem per Ægyptum volitasse sub Coss. Q. Plautio & Sex. Papi- nio. Phœnicem Romam delatum sub Claudio anno 800. ab V. C. idem Author asseruit, cujus, inquit, in Senatu acta in publicas tabulas redacta sunt; sed, addit idem Plinius, fictam esse avem dubitavit nemo.

Nec minus de genere mortis atque de reparata iterum post funis vita, res est inter varias Authorum sententias ambigua. Cum ad vitæ exitum evoluta annorum, quos natura constituit, periodo devenit, feque in mortem urgeri provida avis intellexerit, ipsa sibi ex odoribus arborum ramis feralem rogam construit. In cineres resoluta, ex ossibus & medullâ primò vermiculus innascitur, qui paulatim crescens, tandem transmutatur in avem; & cum primùm volatui explicando se parem experitur, cineribus parentis suæ, & nidulo ubi vitam absolvit onustus, omnia desert ad Solis Aram, juxta Insulam Pan-

chæam in Oceano (k), sive in Provincia ejus nominis in Arabia Felici (l), sive in Troglodytide (m), sive in Ægypto juxta Heliopolim [n]; eo enim de situ Panchææ Veteribus celebratissimæ in incerto versamur.

Herodotus lib. 2. cap. 73. delatum tantummodò à juniore ave parentis corpus in myrrhino feretro impositum, ad Templum Solis in Heliopoli Ægypti urbe testatur, nihil addens sive de morte, sive de reparata vitæ ratione. Addunt nonnulli, Phœnicem post constructum ex gummis aromaticisque lignis nidum, excussione alarum ignem excitare; quo absumptum & in cinerem redactum, iterum in vermiculi speciem innasci, paulatimque explicari in Phœnicem. Rem illam aliter sibi narrandam suscipit Tacitus Annal. lib. 6. Constructa ab ave nidus, ait, virtute quadam generandi sœtumque Phœnicis emittendi inspergitur, statimque priori ave vitâ functâ nova emergit. Vix autem in lucem emissus Phœnix nihil habet antiquius, quàm ut parentis funus curet; quare myrrhâ obvolutum cadaver ad Aram Solis desert, igne absumendum gratum Numini sacrificium. Hæc Tacitus, qui totam narrationem suam ita concludit: Hæc incerta, & fabulis aucta. Ceterum, addit, aspici aliquando in Ægypto cam volucrem non ambigitur.

Gemina Herodoto de Phœnice habet Origenes (o); sed avem non negans, ambigerè tamen de illa plurimum demonstrat. S. Clemens in priori ad Corinthios Epistola, Pseudo-Lactantius in Carmine de Phœnice, S. Basilus Magnus in Hexameron lib. 8. S. Cyrillus Hierosolymitanus Cateches. 18. S. Ambrosius (p) veritatem ejusdem avis persuasissimam habuisse vixi sunt; tum & ex illa argumentum resurrectione derivarunt; ac inter illos S. Ambrosius tanquam rem ex Scriptura indubitata asserit. Hoc relatione crebra & Scripturarum autoritate cognovimus &c. (q). Hæc planè S. Doctoris verba non alium Scripturæ testimonium spectasse videntur, quàm Jobi illud, relata à nobis historię satis congruens; Sicut Phœnix multiplicabo dies; quemadmodum enim avis illa in cineres dissoluta iterum compingitur; ita mecum pariter præstandum erit; & sicut è sinu mortis ad novam vitam reparatur Phœnix, ita ego post oblatum Deo vitæ meæ sacrificium iterum innovabor.

Phœnicis exemplum insinuant pariter ad resurrectionem probandam Tertullianus de Resur. carnis, & S. Epiphanius in Anchorato. Idem pro adstruendâ virginitate beatæ Mariæ, & præter mortalium consuetudinem Jesu Christi natali, laudat S. Cyprianus in Symbolo. Frustra essent, si omnium testimonia eâ in re suscipere congerenda. Profectò si tot probatissimi testes ad adstruendam Phœnicis veritatem impares habentur, quæ præterea à nobis addi potuissent, minoris semper momenti viderentur.

Sed, ut vera fatear, de Phœnicis veritate

k Vide Eubæmer. apud Euseb. Præpar. lib. 11. cap. 2. l Virgil. Georg. 2. Servius ibid. m Voss. ex Me-la lib. 3. cap. 8. n Plin. 10. cap. 2. Har-duin. in eund.

o Origen. lib. 4. contra Gelsad finem.

p Ambros. Hexameron. lib. 6. cap. 23. Idem in Psal. 118. serm. 19. n. 13. Phœnix coitus corporeo ignorat, libidinis nescit illecebras; sed de suo resurgit rogo, sibi avis superstes, ipsa & sui hæres corporis, & cineris sui fetus.

q Ambros. lib. 2. de Fide Resurrect. n. 59.

r Vide Boet. de anim. Sac. par. 2. lib. 6. cap. 5.

s Vide si lubet Bellon. Observat. lib. 3. cap. 25. Cardan. de Subtilitate lib. 10. Georg. de Sepibus, de Rom. Societ. Jesu Museo.

ritate, sicut & tot historiarum fide plurimum nec immeritò ambigitur (r). Quicumque Scriptores eâ de re egerunt, inter se non constant, aliis alia narrantibus, tum de vitæ diuturnitate, tum de genere mortis, tum etiam de reparandæ vitæ ratione. Alii dubitationes eâ de re suas non silent; alii fabellas veritati plures admixtas agnoscunt; ac tandem ipsa avis historia adeò singularis est, & supra fidem, ut humanam credulitatem superet. An fortè tamen Phœnix, fabulosa, uti quidem credimus, avis, cum ave Paradisi, cujus veritatem omnes fatentur, confusa est?

Avis Paradisi plumarum elegantia insignis (s), iisdem plumis octo digitis longis ornatur. Cauda ad Pavonem accedens, colore aureo, varietate insigni coruscatur. Collo est quàm par sit breviori, ut deesse prorsus videatur. Capite & rostro ampliori, tenuique, cujus radices in alis ipsis defunguntur. Eiusdem plumis instruuntur Principes Insularum, quas Moluccas vocant, iisque tutos se à vulneribus arbitrantur. Turcarum criste illis pariter ornatur. Magnitudine est pulli è gallo gallinaceo. Ferunt Paradisi avem semper in motu & libratissimè in aera pennis versari, cum pedibus careat; pasci verò rore ex aere matutino stillanti. Fabellas huic historię admisceri plurimas non ambigimus. Hæc certiora: figura & plumæ avis alterius planè sunt à cæteris formæ; vix in ramis quiescit; pedibus sive brevioribus utitur sive penitus caret; insectis quibusdam, vel gratum spirantibus floribus innutritur. Ferunt juxta ramos arborum quietem capere, quibus vel plumis vel filamentis quibusdam nigris circa caudam, adstringitur. An vera sit avis, ne ambigitur quidem, cum ejus exuvia inter cymelia PP. Jesuitarum Romæ spectentur. Sola superesset dubitandi ratio, num aetate Scriptorum de Phœnice agentium innotuerit; neque enim de aetate Jobi quidem dixerim, cum ille nec de Phœnice nec de ave Paradisi facile unquam cogitaverit. Verùm si Indiæ & Oceanus Indicus jam inde à Salomonis aetate exploratissimi erant; cur nota in illis regionibus avis, Græcos Romanosque, apud quos de Phœnice sermo, la-tuerit? Fac autem noverint; quis prohibet quin ejusdem avis historiam sub Phœnicis nomine tradiderint? Hæc occasione versio illius Textus: Et sicut Phœnix multiplicabo dies; disputanda fuerant.

Alter Versio: Et sicut palma multiplicabo dies, majori assensu probatur. Ita legunt Septuaginta, Vulgata, Vetus Itala, & tota sermè vetustas, cum pluribus Recentioribus. Quin & satis expressum in Antiquitate testimonium pro lectione de Phœnice an satis demonstrari posset ambigitur. Quidquid in toto Jobi Textu legitur, satis cum palma quadrat. Arbor est maximè annosa, succisâ facile germinat (t), & ad miraculum usque secunda. Ipsum Phœnicis nomen ex palma derivatum ferunt; quod arbor illa annosa sit,

t Plin. lib. 3. cap. 4. Sunt & cadua palmarum quoque silva, germinantes rursus ab radice succisa.

& veluti post cineres renascens; cum in cineres redacto trunco, nova è radice germina erumpant (u). Ferunt insuper proceras palmas circum habere ingentium arborum sylvam, (usque ad 24. enumerant) ex eadem radice, quamquam inter se distinguantur, succrescentium (x): Procerioribus sylvæ arbore ex ipsa, ait eâ de re Plinius lib. 13. cap. 4. Vir quidam fide dignissimus, qui decennio in locis palmiferis subsistit, testatur nunquam è radice palmæ germina succrescere; sed è nucleis in terram decidentibus, non tamen nisi in locis humentibus, vel nisi fortè humore aliquo irrigatis, innasci. Vix fatam radices emittere idem Plinius est author: Et ab radice avulsa vitalis est satus & ramorum tenerissimis. Gaudet & riguis totoque anno bibere. Quod maximè cum Scriptura hic vers. 19. congruit: Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messe mea.

Ad palmæ aetatem quod attinet, juventam suam arborem emissis geminibus reparare, & ad radices usque succisam iterum succrescere jam observavimus. Longissimo ævo durare illam asserit Theophrastus (*); & de palma Deli hæc Plinius lib. 16. cap. 44. Ab ejusdem Dei (Apol-linis) aetate conspicitur. Magna sunt hæc & exaggeratione fortè in majus aucta; sed communem saltem persuasionem de longissimâ ejus arboris aetate satis demonstrant. Hæc plausibilia pro vindicanda Versiois hujus veritate afferuntur; Versiois, inquam, hujus, qua Jobus annos sibi palmæ suppare ominatur, quamquam alioqui doloribus & infirmitate oppressus mortem capiti suo imminenter cernebat. Nec Authoribus Sacris novum est & insuetum, ut similitudinem è palma, arbore in Judæa & Arabia celebratissimâ, derivent; Justus ut palma florebit (y). Spon-sus in Canticis Sponsæ suæ proceram staturam palmæ comparat (z). Sponsæ coma ramis palmarum similis esse dicitur Cantic. 5. 11. Ipsa de se Sapiencia cætera omnia infra se despiciere, veluti palma in agro Cades, habet Eccli. 24. 18. Filii Aaron Sacerdotes insigni coronâ Oniam Summum Sacerdotem ambiunt, veluti proceram aliquam arborem palmæ circum implantatæ Eccli. 1. 14.

His omnibus, quæ in rem præsentem congruere videntur, unum opponunt, quod pluribus æquivalere; nempe vocem Hebræam Chol nullibi locorum in Scriptura palmæ designandæ occurrere (a). Sæpius quidem de palma arbore in Palæstina frequentissimâ apud Authores Sacros, nec nisi nomine Thamar usos illos legimus. Frequenter apud illos quidem vox Chol recurrit; nunquam tamen pro palma. Nec Septuaginta vocem Chol alibi unquam, quam in hoc Jobi loco, palmam reddiderunt. Aliena est etiam ea nominis significatio in lingua Chaldaica, Syriaca, & Arabica Hebræicæ affinis, ex quibus radicem Hebræicarum vis interdum exprimitur. Quare sive aliam Hebræici Textus lectionem secutos fuisse Septuaginta, sive

u Plin. lib. 13. cap. 4. Mirum de ea acceptum cum Phœnice cum Phœnice ave, qua putatur ex hujus palmæ (Syagrorum) argumento, nomen accepisse emori ac renasci à seipsa. x Bellon. lib. 2. cap. 25. Observat.

* Theophrast. de causis lib. 2. cap. 16.

y Psal. 91. 13.

z Cant. 7. 7.

a Chabol ar-beb jamim.

i Manil apud Plin. lib. 10. cap. 2.